

dicit : *Ipsæ sababitos; ut nihil à navibus, nihil à tyrannis inflatis timeamus.*

VERS. 25. — *LAXATI SUNT, etc.* Quia tyrannos navibus, quæ vento inflatis velis aut remis impetu feruntur, comparaverat, in metaphora persistens, ad Assyrium convertitur, per cuius interitum ruinam diabolici et ministrorum ipsius intelligit. Ipsumque regem malo in navi comparat; principes verò ejus, *funibus*, qui malum confirmant; instructas verò acies militum, *velo ventis inflato*; totum denique Assyriorum exercitum *navi ipsi comparat*. Notum est autem peritis in re nauticâ *confirmationem mali, quæ funibus fit*, summi esse momenti. Quare et dum tempestas ingruit, alios funes superaddunt, ne fluctuatione navis et crebrâ jactatione *laxatis seu ruptis funibus*, ipse quoque malus abruptatur, et impossibilibus eis reddatur navigatio, non habentibus ubi antenna et velum suspendatur. Quod qui ignorarunt, hic nihil certi afferre poterunt. Hebr., *dimissi*, id est, laxati, ut doctè veritè Vulgatus, nam duces et precipui in exercitu partim occisi, partim in fugam versi sunt. Sed non prævaluerunt; particula adversativa non est in Hebræo. Et quia Vulgatus in bonum accepit *laxationem funium*, nempe quod Assyrii in tentoriis amplissimis castrametati fuissent, idè adversativam supplèvit; et verbum *caracta* absolutè accepit, ut interdum solet Hebræis accipi, q. d. : *Quantis ingentes habes copias, non tamen prævaleris, etc.* Possumus tamen verbum interpretari activè *pro confirmare*, ut Psal. 447: *Confortavit vectes portarum, etc.*, Exod. 4, ubi Vulgatus *indurare* dixit; et suprâ 22: *Dalteo firmabo, etc.* Ut vertere hic possumus, *non confirmabunt* (vel *constringent*) *malum suum*. Sic ERIT. Certum est *ken* similitudinis esse particulam plurimis in locis, et posse suppleri verbum substantivum cum Vulgato; sed alium quoque habere usum apud Hebræos observarunt viri periti. Certè quando hanc particulam præcedit negatio, sæpè valet id quod Latinis *ne tantillum quidem*, sicut nos, *ne hoc quidem*, demonstrat re nullius momenti, vel facti talitro, ut Jer. 8: *Auscultabam, et audiebam, sed ne tantillum loquebantur, cap. 25 et 48, et Prov. 15, et infra, Is. 51, etiam sine negatione: Et habitatores ejus velut ken interibunt; quo etiam modo poteris accipere illud cap. 16: Audistis superbiâ Moab, quod superbus sit vultus; et ne sic quidem vectes ejus, id est, ne tantillum quidem, vers. 2. Inquit ergò non potuisse duces et principes Assyrii regis ipsum vel tantillum confirmare, ne fugeret, vel ne responderet animum. DILATARE SIGNUM. Signum pro velo, hic accipio. Non confirmato enim malo vel antennâ, haudquaquam potest expandi velum; ita non confirmato rege, sed dependente animo et fugam capiente, non poterunt acies instrui, vel ad prælium, vel ut confertè receptui carent et absque incommodo in Assyriam redirent, sed hæc atque illuc diffusi milites, quisque sibi fugâ consolebatur. Fortè etiam hic moris nautarum meminit,*

qui in summitate mali signum collocare solent, præsertim in navi prætoriâ, scilicet quæ classis imperatorem vehit; *laxatis autem funibus et malo non confirmato* sed collapsò, regeque fugam capiente, *nullum signum expansum est*, quò se colligerent milites, aut quod sequerentur aufugientes. Hæc autem translationes, ut jam dixi, nihil aliud quàm adèd dissipatos fuisse Assyrios et fusos notant, ut nihil consilii, nihil virium corporis aut animi in ipsis remaneret, sed desperatione obruerentur. Atque hic est finis hostium Dei et Ecclesie, etiâmsi velut mare insurgant et fluctus suos exaltent. Nam etsi *mirabiles sint elationes maris, mirabilior tamen in altis est Dominus*. Hincque factum est ut detruso ad Tartara diabolo, et tyrannus fractis atque enervatis, testimonia Dei facta sint in toto orbe credibilia, et verbum crucis ubique obtinuerit. *TENEBIVENTURA, etc.* Fugatis partim, partim quoque occisis Assyriis, quid aliud quàm *divisio spoliorum fuit*? Tanta fuit autem alacritas et exultatio ut nemo propter aliquod corporis vitium, quales sunt *claudi*, neque propter virium defectum ex adversâ valetudine, à diripiendis spoliis fuerit alienus, aut in prædæ divisione exsors. Hic memineris *claudos et debiles* jussu Domini compulsos fuisse intrare ad nuptias atque convivium, in quo omnium illorum bonorum regni Dei, à quibus deciderunt Judæi, qui contempserunt convivium Domini, participes facti sunt. Illud etiam Evangelii recole: *Devictio forti et alligatio, universa arma atque vasa ipsius victorem diripiisse*. Quæ quidem direptio per Apostolos et eos quorum non *multi nobiles, non multi potentes, etc.*, sed qui ferè omnes erant *infirmi ac contemptibiles, ut fortia Deus confunderet*, facta est. Illud quoque in mentem revoca, nemini ob vitium corporis præcludi aditum ad ingentes in Christo divitias comparandas in Ecclesia ipsius, sed liberam esse *depredateionem et direptionem, etc., neque esse personarum acceptionem apud Deum*; de quo plura infra cap. 56. *SPOLIA MULTARUM PRÆDARUM*. Sensus idem est; ego verba expressi, *tunc dispersum est assidud spolum multiplex; ad enim temporis continuationem notat, quòd illis diebus nihil aliud Jerosolymitani egerint quàm diripere ac dividere spolia*.

VERS. 24. — *VICINUS*. Nullus ex civibus et habitatoribus Jerusalem à prædatione abstinuit, etiâmsi decumbat *infirmus* aut *æger*. Tanta erit exultatio et alacritas. Verùm ne quis Judæus hæc carnaliter acciperet, et ad tempora Ezechie istec tantum pertinere putaret, remissionem peccatorum inducit, ut scilicet intelligeremus victoriam quamdam spiritalem, hostium fugam et devastationem spiritalem, direptionem spoliorum spiritalem in illâ victoriâ designari. Neque enim post hæc victoriam *populus Jerosolymitanus relevatus fuit iniquitate*. Sed hæc ad Christum pertinent, qui *salvum fecit populum suum à peccatis ipsorum*.

CAPUT XXXIV.

CHAPITRE XXXIV.

1. Accedite, gentes, et audite; et populi, attendite: audiat terra, et plenitudo ejus; orbis, et omne germen ejus.
2. Quia indignatio Domini super omnes gentes, et furor super universam militiam eorum, interfecit eos, et delitit eos in occisionem.
3. Interfecti eorum projicientur, et de cadaveribus eorum ascendet fetor; tabescent montes à sanguine eorum.
4. Et tabescet omnis militia caelorum, et complicabuntur, sicut liber, cœli; et omnis militia eorum defluet, sicut defluit folium de vineâ et de ficu.
5. Quoniam inebriatus est in cœlo gladius meus: ecce super Idumæam descendet; et super populum interfectionis meæ, ad judicium.
6. Gladius Domini repletus est sanguine, increpsatus est adipe, de sanguine agnorum et hircorum, de sanguine medullatorum arietum: victima enim Domini in Bosra, et interfectio magna in terrâ Edom.
7. Et descendunt unicornes cum eis, et tauri cum potentibus; inebriabitur terra eorum sanguine, et humus eorum adipe pinguium.
8. Quia dies ultionis Domini, annus retributionum judicii Sion.
9. Et convertentur torrentes ejus in picem, et humus ejus in sulphur; et erit terra ejus in picem ardentem.
10. Noctè et die non exstinguetur, in sempiternum ascendet fumus ejus; à generatione in generationem desolabitur, in secula seculorum non erit transiens per eam.
11. Et possidebant illam onocrotalus et ericius: ibis et corvus habitabunt in eâ: et extendetur super eam mensura, ut redigatur ad nihilum, et perpendiculum in desolationem.
12. Nobiles ejus non erant ibi; regem potius invocabunt, et omnes principes ejus erunt in nihilum.
13. Et orientur in domibus ejus spinæ et urticae, et pallurus inmunitionibus ejus; et erit cubile draconum, et pascua struthionum.
14. Et occurrent dæmonia onocrotauris, et pilosus clamabit alter ad alterum: ibi cubavit lamia, et invenit sibi requiem.
15. Ibi habitavit foveam ericius, et enutrivit catulos, et circumfudit, et fovit in umbrâ ejus; illuc congregati sunt milvi, alter ad alterum.
16. Requirit diligenter in libro Domini, et legit; unum ex eis non defuit, alter alterum non quaesivit; quia quod ex ore meo procedit, ille mandavit, et spiritus ejus ipse congregavit eâ.
17. Et ipse misit eis sortem, et manus ejus divisit eam in mensuram; usque in æternum possidebunt eam, in generationem et generationem habitabunt in eâ.

1. Approchez, nations, et écoutez; peuples, soyez attentifs; que la terre et tout ce qu'elle renferme prête l'oreille, le monde et tout ce qu'il produit.
2. Car l'indignation du Seigneur est sur toutes les nations, sa fureur sur toutes leurs armées; il les a mis à mort; il les a livrés au massacre.
3. Leurs tués seront jetés, et une puanteur horrible s'éleva de leurs corps, et les montagnes dégoutteront de leur sang.
4. Toute la milice du ciel sera languissante, et les cieux se rouleront comme un livre, tous les astres en tomberont comme des feuilles qui tombent de la vigne et du figuier.
5. Car mon épée s'est enivrée de sang dans le ciel; elle va se décharger sur l'Idumée, et sur un peuple dans le carnage duquel je signalerai ma justice.
6. L'épée du Seigneur est pleine de sang, elle s'est engraisée du sang des agneaux et des boucs, du sang des bœufs les plus gras, car le Seigneur s'est préparé un sacrifice dans Bosra, et il fera un grand carnage dans la terre d'Edom.
7. Les licornes seront précipités avec eux, et les taureaux avec les plus puissants, la terre s'enivrera de leur sang, et les champs s'engraiseront de la graisse de leurs corps;
8. Car c'est le jour de la vengeance du Seigneur, et l'année de faire justice à Sion.
9. Les torrents d'Edom se changeront en poix, le poussière s'y changera en soufre, et la terre deviendra une poix brûlante.
10. Cet incendie ne s'éteindra ni nuit ni jour; il en sortira pour jamais un tourbillon de fumée; sa désolation subsistera de race en race, et il n'y passera personne dans la suite de tous les siècles.
11. Le butor et le hérisson la posséderont; l'ibis et le corbeau y établiront leur demeure. Le Seigneur étendra la ligne sur elle pour la réduire au néant, et le niveau pour la détruire de fond en comble.
12. Les grands du pays n'y demeureront plus, mais ils invoqueront un roi, et tous ses princes seront anéantis.
13. Les épines et les orties croîtront dans ses maisons, les chardons rempliront ses forteresses, et elle deviendra la demeure des dragons, et le pâturage des autruches.
14. Les démons et les onocrotauris s'y rencontreront, et les satyres y jetteront des cris les uns aux autres. C'est là que la sirène se retire; c'est là qu'elle trouve son repos.
15. C'est là que le hérisson fait son trou, et qu'il nourrit ses petits; et qu'avant fouillé tout autour, il les fait croître dans l'ombre de sa caverne. C'est là que les milans s'assemblent, et qu'ils se joignent l'un à l'autre.
16. Cherchez, et lisez avec soin dans le livre du Seigneur, et vous trouverez qu'il ne manquera rien de ce que j'annonce; une seule de mes paroles ne sera vaine, parce que ce qui sort de ma bouche m'a été inspiré de Dieu, et que c'est son esprit qui rassemblera tous ces monstres.
17. C'est lui qui leur fera leur partage; sa main la divisera entre eux avec mesure; ils la posséderont éternellement, ils y habiteront dans la succession de tous les siècles.

VERS. 1. — ACCEDITE, GENTES, ET AUDITE, POPULI, etc. Non puto quòd ad narrandam vastationem Idumæorum hoc exordio usus fuisset propheta. Sed neque vastationem totius mundi continet caput hoc, ut sequentia ostendunt. Certè, nisi meus me fallit animus, hæc omnia de ultimâ desolatione Judææ libenter accipio. Neque mirum alicui videatur quòd Judæos nomine Edom significet; non enim semel id facit propheta, ut infra videbimus. Nam, præter hoc quòd Judæi ex Jacob facti sint *Esau*, id est, ex dilectis reprobi, et ex capite cauda, et primogenituram amiserunt, quæ ad Esau rediisse dici quodammodo potest, cui dixerat Isaac quòd aliquando et ipse excrteret jugum à collo suo; in nomine ipso Edom, quòd à rubedine dictum est, allusio est ad interfectionem et ingentem cædem quam patraturus erat Dominus in Judæa, ut mox dicitur. Adde quòd non rarò propheta nomine *omnium gentium* et *totius orbis* eam gentem et provinciam in quâ erant intelligunt, ut supra indicavimus. In hoc tamen primo versu universum mundum et omnes gentes ad spectaculum convocat earum rerum quas de gente sua commemorare decreverat. Est enim illius reipublice ruina, inter aliorum regnorum quæ unquam contigerunt eversiones, maximè insignis.

VERS. 2. — QUIA INDIGNATIO DOMINI, etc. Si de Edom esset sermo, non sic locutus fuisset propheta qui non consuevit omnes gentes dicere nisi aut cùm de toto orbe loquitur, aut cùm de in quâ agebat regione. MILITIAM, seu exercitum. Si de Judæorum reipublica, ut ego quidem arbitror, est sermo, intellige hic non temporalem modò militiam, sed etiam spiritalem et ecclesiasticam. Vide infra commentarium in illa verba: *Completa est militia*, etc. INTERFECIT. Significantius est verbum Hebræum *caram*, anathematizavit, excommunicavit, devovit, diris prosecutus est, ab usu communi (seu è mediò) sine ullâ commiseratione sustulit. Quod verò sequitur, hanc vocem exponit, dedit eos in mactationem, sicut illas civitates quas Dominus in anathemate dabat ipsis Judæis.

VERS. 3. — TABESCENT MONTES. Significat hyperbolicus hic sermo quòd quemadmodum montes assiduis imbribus decrescant ac veluti liquefunt aquarum defluxu, ut est apud Job, ita tantum sanguinis esset effundendum ut defluerent montes. Verùm quia post hujusmodi fluxus montes steriles manent, amissâ pinguedine (nam et humanis corporibus nimie solutiones tabem inducunt, ut nôrunt medici), hinc Vulgatus ad effectum respiciens *tabescere* dixit. His metaphoris adeò venustis nescio an quidquam simile in profanis scriptoribus reperias.

VERS. 4. — TABESCENT MILITIA (SEU EXERCITUS) COELI, id est, luminaria et stellæ. *Tabescere* est lucem amittere; quod mox exponens ait: *Et volentur, sicut liber, cæli*. Sicut si hõrum volvas, litteræ non apparent, ita cùm luminosa corpora sint in cælo veluti litteræ in libro (sunt enim signa temporum, etc.), si cælum volvas, non apparebunt. Obscuratorem itaque lumina-

rum cælestium notant hæc, quæ nihil aliud quàm supremam trisitionem et rerum adversuram quandam inundationem significant, ut supra jam semel diximus. Atque hoc est quòd evangelistæ dicunt, *solem obscurandum, et lunam retracturam lumen, et stellas de celo ruituras*. Hunc locum Isaia Joannes, Apoc. 6, sic vertit: *Et cælum recessit sicut liber qui circumvolvitur*; ubi quoque potentiam Dei indicare voluit propheta, qui non majori negotio cælos, si libeat, complicit et volvat, quàm tu membranam, ac multò minori. Qui etiam locus Joannis facit ut hæc de Judæa intelligam. Nam cùm, cap. 4 et 5, gloriam Christi, quam per mortem assecutus est, quamque etiam per predicationem Evangelii obtinuerat, descripsisset, tandem, cap. 6, vastationem Judææ, quæ cepit fieri à morte Domini, per incrementa narrat, quousque in sexto sigillo, id est, sextâ annorum hebdomadâ post occisionem Dominum, extremam devastationem commemorat, *obscurato sole, et cadentibus stellis, et cælis complicatis*; ubi etiam adducit illa verba Domini quæ dicturi erant Judæi *montibus et petris, ut caderent super ipsos*. Proque his quæ hic dicit propheta: *Defluet exercitus colorum*, id est, stellæ, sicut folium de ficu, etc., dicit Joannes: *Est stella de celo ceciderunt super terram, sicut fœcus emittit grossos suos, cùm à vento magno movetur*. DEFLUET. Hæc constructio, *marcescere de vite, aut ficu, quæ fecit ut verbo defluendi verteret*, est Hebræis frequentissima, ut superius annotavi, esseque reddendam dixi duobus verbis, *marcescet ac decidet*.

VERS. 5. — INEBRIATUS EST, *navah, huncectatus est, madefactus est, inebriatus est*; notatque redundantiæ. Eadem autem figurâ et verbo utitur Jeremias, 46: *Devorabit gladius, et satiabitur et huncectabitur à sanguine eorum*. IN COELO, id est, apud me; vel: Firmiter jam dudum statui madefacere gladium meum sanguine, etc. Estque Hebraismus valdè dignus qui annotetur; ut: *Verbum tuum permanet in cælo*; et: *In cælis firmasti veritatem tuam*, id est: Sic firmum erit verbum tuum, ut cæli ipsi, et veritas tua tam stabilis ut cæli et coelorum motus. In cælo ergo vel cælis vel cælestibus utuntur tanquam adverbio pro *firmiter, absque dubio*, vel etiam pro *excellenter, magnificè*; sicut apud Paulum, *innotescat in cælestibus*, id est, magnificè, summâ cum majestate, sicut res cælestes, etc. POPULUM IMPERFECTIONIS M.E.E. Vide supra, v. 2, *populum anathematis sui*, id est, anathematizatum et à me devotum. Et cum isto nomine construendum est illud, *ad judicium; devotum, inquam, in judicium seu condemnationem*; quod supra dixerat traditus mactationi. Vel, *descendet in judicium*. Confer hæc verba cum illis: *Primogenitus meus Israel*, et similibus, et videbis quantum actiones nostræ ac mores coram Deo momenti habeant; ex ipsis enim aut dilecti filii sui primogeniti, aut etiam tanquam excommunicati et interfectioni addicti habebimur.

VERS. 6. — AGNORUM אֲרִיֹטִים agnum solet vertere. Vide de hac voce supra, 16, 1. *Arietes* dicere potes: nam

et instrumenta bellica ad quatiendos muros, quæ arietes dicimus, אֲרִיֹטִים vocant Hebræi. MEDITATORUM. Vox Hebræa *remes* notat; sed propter pinguedinem loci obducitur, ad *pingue* et *optimum rei* transferitur, et *triticum* etiam tribuitur, etc. Sensum vertit interpres Vulg. ARMENTUM, אֲרִיֹטִים arietes gregarii. Isis autem animalibus significantur divites ex plebe. De principibus ager versu seq. VICTIMA. Supra eos dixerat mactationi destinatos; hæc jam Deum proponit innumerabiles victimas, tanquam in festo aliquo, cadentem ac mactantem. Quo innuit occisionem impiorum acceptum sacrificium Deo esse, et diem quo delentur infideles, etc., esse diem festum Deo; et quidem sacrificia quæ Deo offerunt sunt abominatio Domino; quod verò ex ipsis offertur, acceptissimum. BOZRAH, civitas est Idumæorum, à *muris* quibus cingitur nomen habens, vel potius à copiâ *uearum*; nam verbum Hebraicum dicitur tam de *deceptione uearum*, quàm de *coarctatione murorum*, etc., ut jam supra indicavimus. Ergo hic intelligi Judæos, rufos et sanguinolentos, qui sibi sanguinem Christi imputari et filiis suis non sunt veriti, nemini mirum videatur.

VERS. 7. — DESCENDENT. Descendere dicunt Hebræi interdum pro *currere*, ut Ezech. 50: *Descendit superbia fortitudinis ejus*; Deut. 20: *Exstrues propugnaculum contra civitatem, donec descendat ipsa*, etc. Ne ergo putarem minorum animalium tantum futuram mactationem, et populum tantum cedendum, subjungit de principibus, *cum eis etiam corruent*. Hos vocat nominibus majorum animalium. UNICORNES. A verbo *raam*, quod tantum semel legitur, Zach. 14, id est, *elevatum est*, dicitur REEM animal rhinoceros, quòd in altum habet elevatum cornu, vel quòd cornu elevat, etc. Est sævum animal et immensi roboris belua; ejus fortitudini comparatur fortitudo Israelitarum, Num. 25. Posteritas Joseph etiam in fortitudine comparatur huic animali, Deut. 35: *Cornua, sicut cornua ejus, in ipsis ventilabit gentes*, etc., propter regnum Ephraim et potentiam ejus; ubi Vulg. rhinocerotem dixit. Et Ps. 92: *Exaltabitur ut REEM cornu meum*; ubi videtur alludere ad eymon ipsum nominis, quod tamen ibi legitur insertâ litterâ *iod*. Feritas ejus notatur Ps. 22, et Job. 29. Cæterùm rhinoceros et monoceros non idem animal sunt; sed hoc dicitur ab uno cornu, illud autem à cornu in naso quod sursum elevatum habet. Nos Lusitani rhinocerotem vidimus ex India advectum anno 1515. Hujus fortitudinem metuit elephantus. Hoc animal vidit Martialis Romæ cùm urso pugnantem, qui taurum viceerat. Rhinoceros verò ursum ut pilam in altum projecit. Cui geminum cornu tribuit; habet enim præter cornu quod in naso est, aliud parvum supra frontem. Ideirò ait:

Namque gravem gemino cornu sic extulit ursum,

Jactat ut impositas taurus in astra pilas;

et rursus:

O quam terribiles exarsit promptus in iras!

Quantus erat cornu, cui pila taurus erat!

Ubi quidam deceptus est, quòd non putaret nisi

unum cornu rhinocerotem habere. At Pausanias illius alterius parvi quoque mentionem fecit De hoc ergo animali intelligendi sunt, meo judicio, omnes loci quos adduxi. Monocerotum autem non unam esse speciem existimo; unde tanta diversitas in scriptoribus orta est. De asino Indico unum cornu in fronte gestante meminit Aristoteles et alii veteres scriptores; cujus cornu hodie adversus venena utitur; quæ quidem virtus rara habet apud antiquos testimonia. Ego quidem nullum antiquius legi quàm Philostrat in Vita Apollonii, initio lib. 5, cujus hæc verba sunt: «Asinos præterea silvestres in vicinis paludibus, fluvio videlicet Hypasio in India, multos capi dicunt, et esse hujusmodi feris in fronte cornu, quo taurorum more generosissimè pugnant. Atque nullæ Indos ex illis cornibus pocula. Asseruntque nullis morbis illo die affici qui hujusmodi poculo potant; neque, si vulnerati fuerint, dolere; et ex igne etiam incolumes egredi; neque ullis venenis edaci, quæcumque nocendi gratiâ in potu dantur, etc. De his animalibus dubito planè an Scriptura S. meminerit alicubi; quare ubique rhinocerotem veram libenter, quemadmodum Vulg. vertit Deut. 35, et Job. 39. Non tamen culpandi sunt qui rhinocerotem monocerotem, id est, unicornem, dixerint; nam unum illud præcipuum cornu magnum est; alterum autem supra frontem, parvum. ET TAURI, seu juvenis; à pharaructificavit; est nomen *phar juvenens*, quibus scilicet desit esse vitulus, et fructificare incipit. Quibus etiam in Psalmo hostes suos comparat Christus Dominus, Ps. 22. CUM MAGNIFICIS. De nomine *abir* jam supra dixi. Dicitur autem de Deo, Gen. 49, et cap. superioris, de hominibus supra, c. 10; de angelis Ps. 781: *Panem robustorum comedit vir*; de equis, Jerem. 50; de tauris, Ps. 50, et Ps. 22, cum *juvencis* conjungitur, ut hoc loco: *Circumdederunt me juvenis multi, robusti*, id est, tauri, *Basan cinxerunt me*; quo modo hic quoque accipio. Nominè ergo rhinocerotem et juvenicorum atque taurorum principes et magnates Judeorum intelligito; qui cum aliis quoque perierunt et pro vicinis Domino oblati sunt.

VERS. 8. — JUDICIUM SION. Voces Hebrææ dupliciter possunt accipi, in favorem videlicet Sion, id est, ad contendendum pro Sione, et ejus causam vindicandam. Vel *annus est retributionum*, id est, quo Deus retribuet *rixæ* et contentioni quæ hostes cum Sione contenderunt. Sed quia verbum *rib*, quando pro aliquo contendere significat semper cum dandi casu construi videtur, ideirò huic interpretationi non subscribo. Quamquam autem eam admittimus, non de carnalium Judæorum civitate cum rabbinis, qui falluntur hoc loco nominibus *Edom, Idumææ* et *Bozra*, sed de spiritali Sione, quam ipsi infideles Judæi etiam oppugnant, intelligimus. Possumus et in malum interpretari, ut sequentia videntur exigere, quæ tempus adesse significat *quo Dominus vicem reddat ipsi rixæ Sionis*, id est, Sion rixanti et contentendi. De industriâ autem amphibologie loqui voluit propheta (quod aliàs annotavimus), ut pii execrantes semetipsos in intelli-

gendis Scripturis veritate fruatur, et impij videntes non videant, etc.

VERS. 9, 10. — TORRENTES EIUS (1). Relativum hoc et quae sequuntur feminina sunt, et ad *Sion* sunt referenda; neque aliud dabant rabbini quò referant, nisi vim suo more Scripturæ afferre velint. Ergo futurum erat ut *torrentes Sion in sulphur, et terra Sion, id est, Judæa, in picem converterentur*; quo omnino devastandum intelligimus, ac si esset terra picis et sulphuris, quæ perpetuò ignem alit, ut in nonnullis regionibus sunt, quos *Vulcanos* dicunt. Hæc autem nihil aliud notant quàm peccata Judæorum etiam continuis flagellis et longo exilio non consumenda; quamdiu autem durabit iniquitas et infidelitas illorum, durabit etiam ignis divinæ iræ, quæ ita peccatis alitur ut ignis picis et sulphure.

VERS. 11. — ONOCROTALIS. A *tomitu* dicitur hæc avis *caath*. Septuaginta Interpretes *pelicanum* vertunt; Hieronymus *onocrotalum* vel *onocrotatum*. Est avis immunda et lege vetita, Levit. 11, Deut. 14. Deserti gaudet. Ps. 102: *Stimilis sum onocrotato deserti*. EMACIS. De *kipphod* vide supra, c. 14. Avis est, ut ex hoc loco apparet. Ius. Hebræis alia species est. Nomen quod hic habet à *stado* dicitur, *ianeschoph*. Avis immunda, ut apparet ex Levit. 11, et Deut. 14, estque species nocturna. Fortè à tempore dicitur quo volat, nempe *crepusculo vespertino*, quod dicitur *neseph* ab eodem verbo; de quo infra, 59. Est ergo avis quam Latini *noctuum* vocant. CORVUS ORE, vel à *mixtione coloris*, vel quò colore referat obscuritatem noctis, vel quòd *respere volitet*, vel etiam à sono vocis. Est autem Hebræis nomen genericum. Levit. 11: *Et omnem corvum in specie sua*; quo comprehenduntur pice, graculi, monedule, et aliae id genus aves. Per *habitationem* autem harum avium solitudinem intelligit Sionis et totius provinciae; nam istae aves solitudinis sunt amicæ. Et quia immunde sunt, fortè gentes, nempe Mahometanos, qui eas sedes possident, notant. MENSURA, *cau*. De hoc nomine supra, c. 28, dictum est. Verbum significat *lineas jacere*, ut perspective dediti et geometrae faciunt. Nomen ergo *fenem* seu *lineam illam* notat *quam latomi extendunt*; estque non solum edificantium, sed etiam destruentium et solo æquantium, cum nihil supereminere volunt; ut jam supra dictum est, eodem capite: *Ponam iudicium ad funiculum*, etc. Vide etiam supra, c. 18: *Ad gentem funiculi*, etc. Et quidem Vulg. sensum hoc loco suo more optimè reddidit: *Ut ad nihilum redigatur, pro linea inordinationis seu inavinitatis*. Vide supra, 24, commentarium in illa verba: *Civitas vanitatis*, etc., vers. 10. PERPENDICULUM. Optimè reddidit

(1) Scilicet Idumæa, in *PICEM*. *Pice* et (sequens) *sulphur* igne in eò citò concipiunt, et diu conservant. Alludit ad exitium Sodomæ, etc., ut propheta solent. Urbes incenduntur quasi pice aut sulphure. IN SEMPTERNUM, id est, diu: solent enim incensurum urbium diu manere faville et fumus. Significat vastitatem irreperabilem. DESOLABITUR, id est, desolata manebit. IN SECLUM SECLORUM, longissimo tempore. (Synopsis.)

Vulg. nomen *abens*, id est, *lapides*. Significat enim Hebr. non solum *lapides grandiores et edificij aptos*, sed et *lapides illos et ponduscula quæ sibi pendunt, instrumentumque conficiunt quo fabri ignarii et commentarii utuntur*. Est autem duplex; alterum quo jacentia æqualiter jacere deprehendunt aut inæqualiter; et de hoc est hic sermo; alterum quo rectitudinem vel tortuositatem murorum percipiunt; de quo supra, c. 28: *Justitiam ad perpendiculum*. Neque cuiquam inauditum appareat nomen *eben* pro *pondusculo* accipi. Nam etiam in universum pro *ponderibus* accipitur, quòd imponerentur olim lancibus lapides. Et per *catachresin*, etiamsi ex aliâ materiâ fierent, *lapides* dicebantur, Deut. 25: *Non sit in sacco tuo lapis et lapis, etc.*; sed *lapis integer et justitia sit tibi*. Et 2 Reg. 15, *in lapide regia*, pro *pondere regio*. Habes Levit. etiam 19: *Bilances justitiæ, lapides justitiæ*, etc. Adde quòd Zach. 4, pro *perpendiculo* capitur: *Videbunt lapidem stanni in manu Zerubabel*. Nos etiam Lusitani hodiè *lapidem lini* dicimus pro certo pondere. DESOLATIONEM. *Bona est inane, vacuum, vacuitas*. Oponiturque verbo *nabab* à quo videtur deduci. Ter autem tantum reperitur in Scripturâ, Gen. 1, et Jerem. 4: *Vidi terram et ecce inordinatio et vacuitas*, quasi redacta esset ad illud antiquum chaos, nihil ordine positum, nihil edificatum aut plantatum habens, etc., et hoc loco. Hæc passa est Judæa potius quam Idumæa.

VERS. 12. — NOBILES, *cor*, id est, *candidum*; in plur. *corim*, *candidati*, id est, *liberi, ingenui, claro genere nati, nobiles* induti candidâ veste; quod erat insigne ingenitorum, 1 Reg. 21, Nehem. 2 et 5, Eccles. 10. Ergo hic Vulg. optimè *nobiles* vertit, supplevitque verbum substantivum, quod sæpè deest; videturque legisse *malecah*, id est, *ad regem*. Juxta lectionem autem quam nunc in Hebræo habemus, *melucah*, duplex potest esse sensus: 1^o *Nobiles ejus, et non regnum vocabuntur*, id est, habebit quidem ille populus nobiles et qui ex stirpe regiæ ducant, aut saltem ex nobilibus et liberis; non tamen vocabuntur ad regnum, neque amplius habebunt regem; 2^o quòd ipsi *nobiles non amplius ibi regnum dicantur*, etiamsi convenient alicubi ut regnum efficiant; sed id nequam in Sione aut Judæa erit. Ergo negotio illa transposita, ut vides in nostrâ versione, hunc habet sensum. *Etsi nobiles aliqui remanent, nunquam tamen ibi regnum dicerentur; quinimò omnes principes ejus in nihilum redigerentur*.

VERS. 13. — PALIURUS. Species est spinæ, frutex spinosus et asper; de quo Plinius l. 15, c. 19; Virgilius:

Spinis surgit paliurus acutis.

Vulg. quia jam *spinæ* dixerat, optimè vocem Hebræam *choach paliurum* vertit. Est autem Hebræis *spina* vel naturalis vel artificialis, ut infra, 57, de *spina quæ naso infigebatur* nonnullis animalibus. De vocibus hujus versis jam in superioribus diximus. Solitudinem itaque, ut vides, variis figuris designat.

VERS. 14. — DEMONIA. De nomine *Sitim*, vide supra,

15, ubi Vulg., hanc vocem *bestias* vertit. ONOCENTAURIUS. Est animal monstrosus superiori parte hominem, inferiori asinum referente; sicut *hippocentaurus* ex homine et equo. Sed vocem *ium* supra Vulg. *uldas* vertit. Sunt autem *ulule* aves ferales, et à sono, ni fallor, appellationem habent. Hic spiritus, qui variâ monstrorum specie in desertis locis apparent, hæc nomina designant. Et quia manifestum est, *Scim, naves* significare, non dubito quin et ipsos *nautas* quoque significet, transferaturque ad significandas *simias*; quas etiam ob agilitatem quâ præditæ sunt in ascendendo per funes, etc., nos Lusitani interdum *irrisorie nautas* vocamus. Hinc ad *caedæmones* notandos transferitur, sicut et quod sequitur, *PILOSUS, sair*. Quemadmodum autem dicitur Hebræis *hircus à pilis* et horrore, sic quoque vocant *Satyros*; convenit enim et vox. LAMIA. *Lamia* antiquis erant quas hodiè *braxas* vocamus Hispani, venefica mulieres et sanguini puerorum infestæ. Dion. Chrysostomus ait in intimâ Africa feras quasdam reperiri muliebri facie, quæ et ipsæ *Lamiae* dicuntur; uberibus autem et toto corpore admodò speciosæ, ut ipsis relictis homines in fraudem alliciant, captosque devorent. Vide Philostratum in Apollonio, lib. 4, etc. Ego *caedæmones* in illis figuris apparuisse aliquibus crediderim. Cæterum vox Hebræa *lithit*, à nocte nomen habet, quòd noctu videlicet appareat; neque alicubi memini me legisse, nam Thren. 4, ubi Vulg. dixit, *Lamias nudasse mammæ*, in Hebræo aliud nomen est, nempe *tanim*, quod superiori versu *dracones* vertit.

VERS. 15. — HABUIT FOVEAM. Vulgatus quia *רעפ* pro *ericio* accepit, noto animali terrestri, *foveam habere* dixit pro *nidificare*; et eadem ratione verbum *malat*, quod in secundâ propriè est *facere ut evadat*, dictum autem de avibus est *ova edere*, dixit *emittere catulos*. Item ad eorundem animalium naturam respiciens verbum *beca*, quòd propriè est *discindere seu dissecare*, dictumque de avibus est *excludere ova et fractis ovis pullos educere*, vertit *circumfodit*. ET FOVIT. Ex Jerem. 17 apparet quòd verbum *dagat, incubare* seu *fovere* significet. Non ergo videtur servasse ordinem; nam incubatio præcedit exclusionem. Quare et accipiunt pro *postquam*. Ego tamen libenter de educatione illâ primâ, quam matres exhibent pullis jam ab ovo educis, quæ etiam communi verbo *foventi* significatur, accipio; quâ in acceptione intelligi etiam potest locus Jeremiæ. Per futura autem verti aliquot præterita; nam ita exigebat oratio; et Hebraismus indifferenter nunc futuris, nunc præteritis uti consuevit, ut in his versibus vides. Sed quia quid propriè sit *kipphon*, neque ipsi Judæi sciunt, non possunt merito Vulgatum reprehendere, quòd pro terrestri animali accepit. Videtur tamen de ave esse sermo ex proprietate vocum, et ex eo quòd de *mileis* seu *vulturibus* subjungitur. Vox autem non alicubi reperitur, et videtur esse eadem quòd *kipphod*, aut simile aliquid genus avis, de quo supra, vers 11, ubi quoque Vulg. *erictim* reddidit. Sunt enim duo illa elementa *daleth* et

var affinia et commutabilia. MILVI *daiah vultur* est, et est genericum nomen. Deut. 14: *Daiah, juxta genus suum*. Hic est plur. ALTER AD ALTERUM. Latine reddidit Hebraismus, quem ego retinui, quòd manifestus esset. Ad verbum tamen dicendum esset, si liceret, *unaquæque ad socias suas*. Variis itaque, ut vides, figuris desolationem Sionis et Judææ describit sub nomine *Edom* et *Boazra*, et eisdem ferè quibus supra, cap. 15, Babylonis desolationem prædixerat, quòd non minus impia esset Judæa, etc. Ego autem faciliè adducar ut credam per hæc monstra et ferales aves ac bestias intellexisse prophetam non solum immundus spiritus qui infidelium corda possident, sed, ut dixi, turpes Mahometanos crudeliores Turcas, quos prævidebat sedes illas occupaturos.

VERS. 16. — DILIGENTER. Adverbium hoc addidit Vulgatus, quasi volens vim verbi exprimere. IN LIBRO, vel *super libro*, id est, in annalibus Domini. Nam quamvis de ipsâmet Scripturâ propheta possit intelligi, q. d., *legite in hoc libro, et videte an aliquid ex eis quæ dixi defuerit*, etc., puto tamen de altero libro esse sermonem in quo res gestæ per Dominum descripte sunt, vel visibiles, qui jam interit, vel invisibiles, qui in Deo est, ex quo omnis veritatis narratio dependet, etiam ejus quæ in profanis scripturis reperitur. Ergo conferre præcipit ea quæ Judææ accidisse vel scimus vel legimus apud scriptores vera narrantes, cum eis quæ in hac prophetâ continentur, et per omnia consentientem rei gestæ prophetiam nos inventuros prædicat. ALTER ALTERUM. Ad verb. *Mulier sodales suas non requisivit*, id est, unaquæque res suam comparem non desideravit, sed ut in prophetâ singula conjunguntur, ita quoque in eventu conjuncta videbis. De hoc Hebraismo nonnulli supra, v. 15. Utuntur autem feminis pro neutris, quibus caret. QUOD EX ORE MEO PROCEdit. Optimè sensum reddidit Hebraismi, quia os meum ille mandavit. CONGREGAVIT EA. Non est in Hebræo pronomen, sed ad perspicuitatem Vulgatus illud adiecit, q. d., sic conjunctum: *Ut ea ego extuli, ita Spiritus Domini ea præcepit efferi*; vel: *Quemadmodum per os meum Dominus evocari voluit, ita et Spiritus ipsius ea opere simul adimplevit*. Quænam sunt illa?

VERS. 17. — IPSE MISIT. Hebraismus retinui, *cadere fecit sortem eis*, id est, veluti sorte aves illas possidere fecit terram Jehuda. Et idem est quod sequitur, *divisit illis funiculum*, vel in *mensurâ*; fune eis dividebantur agri. Estque prius relativum femininum, alterum masculinum; reuertuntque omnes illas aves et monstra de quibus supra factus est sermo. His enim generibus simul positâ universitatem designant. Estque allusio ad divisiones et sortes jactas per Josue, quando divisit Israelitis terram promissam, quòd pro eis monstra, fera, *caedæmones*, etc., Mahometani illam ipsam Judæorum hereditatem in suam possessionem dono Dei possederunt, ut notum faceret cunctis seculis quòd digniores sunt ferae et ipsi demones et impuri Mahometani illa pos-

sessione quam ipsi Israelite secundum carnem, quibus olim à Deo data fuerat. Tanta fuerunt eorum sec-

CAPUT XXXV.

1. Laetabitur deserta et inuia, exultabit solitudo, et florebit quasi lilium.

2. Germinans germinabit, et exultabit laetabunda et laudans; gloria Libani data est ei; decor Carmeli et Saron, ipsi videbunt gloriam domini, et decorem Dei nostri.

3. Confortate manus dissolutas, et genua debilia roborate.

4. Dicitte pusillanimitas: Confortamini, et nolite timere; ecce Deus vester ultionem adducet retributionis; Deus ipse veniet, et salvabit vos.

5. Tunc aperientur oculi caecorum, et aures surdorum patebunt.

6. Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum, quia scissae sunt in deserto aquae, et torrentes in solitudine.

7. Et quae erat arida, erit in stagnum, et sitiens in fontes aquarum. In cubilibus prius dracones habitabant, orietur viror calami et junci.

8. Et erit ibi semita et via, et via sancta vocabitur: non transibit per eam pollutus, et haec erit vobis directa via, ita ut stulti non errent per eam;

9. Non erit ibi leo, et mala bestia non ascendet per eam, nec inveniatur ibi; et ambulabunt qui liberati fuerint.

10. Et redempti à Domino convertentur, et venient in Sion cum laude; et laetitia sempiterna super caput eorum; gaudium et laetitia obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus.

COMMENTARIUM.

VERS. 1. — REPROBATIONEM IUDAEORUM desolationemque Sionis et totius Iudaeae superiori capite cum praedixisset Isaias, electionem gentium, quae mox consentanea est, iam decantat, et in laudes novi populi totum spiritum effundit. Erant olim tanquam *desertum et loca arida*, quae ab hominibus non incoluntur, et feris relinquuntur. Et quia nullus in eis decor, nullus morum ornatus aut vite honestas eis inerat, idcirco *midebar* nomen illis competebat. Cum etiam omnia apud illos forent confusa et inculata, et ad libitum in eis germinare caro et mundus, à *commixtione* merito *arabab* dici poterant. Quia verò Dei gratia destituti, *stia*, id est, *siccitas*, dicebantur. At jam per gratiam Christi ab illis malis alieni assimulantur *lilio* in pulchritudine et decore et in suavissimo odore. Neque alio sunt piorum mentes quam quaedam lilia in hortu Domini. *Lilium*, *cabatsaleth* dicitur Hebraeis; voce, ut videtur, peregrina. Neque radicem habere videtur in lingua sancta, nisi dicas compositam esse vocem ex duabus radicibus, nempe ex *tsel*, quod est *sinus*, et *cab*, quod est *umbra*, quod digna sint sinu suo gremio.

VERS. 2. — GERMINABIT, ET EXULTABIT. TAM NOVAM tanquam felicem progerminationem, totaque filiorum unde non sperabatur exortum, sequitur ingens gaudium; de quo non semel deinceps fit mentio apud

Isaia, et adeò sub ipsis contaminata terra fuit illa, ut supra dictum est per hunc ipsum Prophetam.

CAPITRE XXXV.

1. La terre déserte et sans chemin se réjouira, la solitude sera dans l'allégresse, et fleurira comme le lis.

2. Elle poussera, et elle germera de toutes parts; elle sera dans une effusion de joie et de louanges. La gloire du Liban lui sera donnée; la beauté du Carmel et de Saron, ils verront eux-mêmes la gloire du Seigneur, et la magnificence de notre Dieu.

3. Fortifiez les mains languissantes, et soutenez les genoux tremblants.

4. Dites à ceux qui ont le cœur abattu: Prenez courage, ne craignez point, voici votre Dieu qui vient vous venger, et rendre aux hommes ce qu'ils méritent. Dieu viendra lui-même, et il vous sauvera.

5. Alors les yeux des aveugles s'ouvriront, et les oreilles des sourds se déboucheront.

6. Le bœuf bondira comme le cerf, et la langue des muets sera déliée; parce que des sources d'eau sortiront de terre, dans le désert, et des torrents couleront dans la solitude.

7. La terre qui est desséchée se changera en étang, et celle qui brûlait de soif, en des fontaines. Dans les cavernes où les dragons habitaient auparavant, naîtra la verdure des roseaux et du jonc.

8. Il y aura là un sentier, et une voie qui sera appelée la voie sainte; celui qui est impur n'y passera point; et ce sera pour vous une voie droite, en sorte que les ignorants y marcheront sans s'égarer.

9. Il n'y aura point là de lion, la bête farouche n'y montera point, et ne s'y trouvera point; ceux qui auront été déliés, y marcheront en sûreté.

10. Ceux que le Seigneur aura rachetés retourneront et viendront en Sion, chantant ses louanges; ils seront couronnés d'une allégresse éternelle; le ravissement de leur joie ne les quittera point, la douleur et les gémissements fuiront loin d'eux.

hunc prophetam. Nova ergo Jerusalem et verorum Israelitarum congregationi haec competunt. LAETABUNDA ET LAUDANS. Sensus expressit Vulg., ego verba verbis reddidi, *etiam exultatio et ovatio*, id est, in dies crescet exultatio et ovatio. Exultationem exultatio et ovatio excipit. Haec enim est vis particulae illius *aph*. GLORIA LIBANI. Non haec accipio quasi comparatur gloria et decor nova progerminationis gloriae Libani, qui proceras cedros gignit, aut fertilitatis Carmeli et decori Saronis, sed, ut jam supra propheta exposuit, quasi totum decorem cum tota gloria Synagoga translatum esse ad Ecclesiam significat. Nam Libanus, et Carmel, ac Saron, insigniora erant loca terrae illius promissae, cuius vastationem superiori capite depinxit. Illi ergo in solitudinem versi sunt, quorum erat *lex*, et *promissiones*, et gloria, et *Patres*, et *ex quibus Christus*, etc. At qui erant *exleges*, et *extorres*, et *longi*, sine Deo in hoc mundo, iuxta evangelium, vocati sunt ad nuptias, *ejecisti filios regni*.

ISTI VIDEBUNT, etc. De illis itaque est sermo qui erant *desertum et solitudo et siccitas*, etc. Isti enim agnovērunt Christum Domini, qui in carne apparuit, qui est *splendor gloriae et decor Dei nostri*; imò quia ipse est *Jehova*, et ipsis respiciunt *evangelium gloriae beati Dei*. Quia verò quanta sit gloria et virtus crucis Christi agnovērunt, dicuntur *vidisse gloriam et*

decorem Dei. Adde quòd sicut nebula seu tunus olim dicebatur *Dei gloria*, quòd cum nebulà appareret Deus, sic caro Christi, ob cuius humilitatem Iudaei sunt obsecrati, in *quà Deus habitabat corporaliter*, nobis dicitur *Dei gloria*. Quia ergo gloria Iudaeorum, fides et agnitio veritatis, ad gentes transiit, oculos habuērunt quibus possent *gloriam Dei intueri*. Et haec est potissima *laetitiae* illius causa de qua versu 1 et initio hujus.

VERS. 3. — CONFORTATE MANUS, etc. Vires hominis in brachiis ac cruribus maxime consistunt; metus autem et brachia remittit et genua dissolvere videtur. Ad animum haec referas oportet, ut mox explicat, etc.

VERS. 4. — DICITE. Ecce quo pacto alios stabilire deberent, bono videlicet ac laeto nuncio. PUSILLANIMITAS. In dativo legendum est. Ceterum duae sunt voces in Hebraeo quas expressi, *festinus corde*. *Festinus* autem *corde* dicitur Hebraismus eos in quibus cor palpitat; quod meticulosorum est. Quare non indocte *pusillanimitas* dixit Vulgatus unica voce. Vide superius, c. 34, de nomine *nimehar*. *Cor festinorum observabit scientiam*. ADUCCER. Non malè hoc loco Vulgatus activè accepit primo loco, secundo autem dixit *ipse veniet*; potest autem eodem modo utrobique reddi: *Vindictam adducet, retributionem Deus ipse adducet*, etc.; vel: *Ecce Deus noster, vindicta veniet, retributio Dei; ipse veniet, et salvabit nos*. Sensus autem idem est, videlicet quòd nihil sic mentes possit surrigere sicut adventus Domini et Incarnationis mysterium. Peccata enim, quibus animus noster deprimitur, per Christum Dominum depellantur; diaboli autem, hostis antiqui, qui nos captivos ducebat, à potentiore Christo foras ejicitur; morti (quam formidare possemus peccatores) Christus Dominus mortem attulit; mundum, quem decepti sequebamur, ipse devicit; carnem denique, cuius titillationibus virtus nostra enervabatur, in cruce confixit. Quid ergo est quòd respondeamus animum? *Vindictam* ergo *adduxit*, et *retributionem* hostibus nostris; et *adveniens* salvabit nos; *ut jam de manu inimicorum nostrorum liberati seruire possimus illi in sanctitate et iustitia*, etc. Sapissimè autem cum de redemptione in prophetis fit sermo, *vindicta* et *retributionis* fit mentio, quòd mens humana non perfectè gaudio perfundatur, etiamsi bona accipiat nisi iis à quibus indigna patiebatur videat pro meritis quoque vicem rependi. Jerem. 41: *Videam vindictam tuam de eis*. Vide Deut. 33, Jerem. 13, etc.

VERS. 5. (1) — De caecis qui visum, surdis qui auditum, claudis qui gressum, et mutis qui loquendi facultatem receperunt Christi Domini beneficio atque Apostolorum ejus satis abundè testantur S. Litterae; quanquàm haec ad animos quoque referenda sunt, quorum vita Christus Dominus abstulit; neque deest

(1) TENE ABRECIAT, etc. Tunc etiam stupidissimi intelligent ac praedicabunt, quam faveat suis Deus. (Grotius.) Sed ipsorum à proprietate vocum discodere, quomodo propriè hoc impletum sit per Christum, qui hunc locum de seipso exponit, Matth. 11, 5 et Luc. 7, 22.

(Biblia Vatabli.)

usque in hodiernum diem in Ecclesia virtus Domini ad sanandos nos.

VERS. 6. — SALIET, *dalag*, *saltaet*, *transiit*; notatque quamdam alacritatem. Quando autem claudis liber gressus restituitur, non ambulat tantum, sed et salient ex animi laetitia. Exemplo est ille quem sanavit Petrus Act. 3, de quo Lucas: *Qui exsiliens atetit, et ambulabat, et intravit cum illis in templum, ambulans, et exsiliens, et laudans Deum*; ubi dicitur *ἐκκλίπων, et ἄλλοττων, exsiliens, saliens*. Ceterorum autem est *salutare et transire*. Estque allusio ad etymologiam nominis claudi, quòd Hebraeis à *salutando* dicitur. QUA SCISSAE SUNT, vel, *quando scissae fuerint aquae*, etc., ut ad tempus referantur gratiae Christi in gentibus. Gentes enim erant caeci, et surdi, et muti, similes disci quos colebant; qui juxta parabolum Evangelii compulsi sunt intrare ad nuptias. Diffusa ergo gratia in gentes (quod Iudaeis, etiam electis, mirum fuit), vocatisque in regnum Dei, omnia haec miracula in corporibus atque animis patrata sunt. Quòd si hi pro rationali conjunctione cum Vulgato accipiamus, accipe Spiritus S. gratiam, quod destituta gentes *desertum et solitudo* erant, ut jam supra diximus, causam esse omnium illorum bonorum totiusque sanitatis. Videtur autem esse allusio ad virtutem nonnullarum aquarum, ut thermarum et calidarum aquarum, quae à scriptoribus celebrantur, in quibus multa corporum vitia sanantur. Intelligimus ergo per Christum *aperitum fuisse fontem in domo David*, in ablationem peccatoris et menstruate, etc.

VERS. 7. — ET QUAE ERAT ARIDA. Vox Hebraea *scharab* de adustione tam ignis quam solis dicitur. Infra, 49: *Non percussit eos adustio et sol*. Vulgatus sensum reddidit suo more. Quanta fuerit gentibus concessa gratia, haec indicant. Simula et à quantis sinis eruti malis per ea nomina intelligimus quae nobis Spiritus S. imponit, *adustio*, *siccitas*, quòd nihil dignum Dei oculis germinaremus, utpote *cubilia* seu *pascua draconum*. Ut enim Deo nihil acceptum ac gratum germinabamus, ita demonis per oculos placebamus; nos mors depascebat, et tot malis premebamur, ut non nisi istis figuris statum rerum nostrarum possimus intelligere. FONTES. À verbo *naba*, quod *scaturire* significat, cum de aquis, et *eructare* cum de verbis seu spiritu dicitur, etc., est nomen *manus*, quod *scaturiginem* significat. Quà voce infantes pro *aquis* utuntur. ORIETUR VIROR. Verbum *orietur* supplēvit Vulgatus ut necesse videbatur. Ceterum quòd Vulgatus dixit *calami et junci*, cum nomen *caneh* habeat lamed praepositum, quod interdum valet pro, videtur reddi posse pro *cannā et junco*; q. d.: *In pascuis (seu cubilibus) colubrorum atque serpentinum (seu draconum) pro calami et junceis*, quae in hominum usum non admodum multum cedunt, et latibula sunt ferarum, *orietur femm*, quod juxta Ps. 104, ubi haec eadem vox legitur: *Dominus germinare facit pro animalibus, et herbas in servitium hominum*.

VERS. 8. — IBI. Per loca illa, quae erant arida, et tantum *pabula draconum* et ferarum latibula, erit via,

via trita, seu publica ac rega. In Ecclesia autem est Christus Dominus, qui est *via*; est fides; et sacramenta, et doctrina morum sanctissimorum; quibus itur in cœlum. Est igitur *via sanctitatis*, seu *sanctificata*, non solum propter terminum, sed et propter ea per quæ itur, quæ sanctitate plena sunt. Est quidem Ecclesia ipsa domus Dei, sed simul est *via et porta caeli*. VOCABITUR. Optime Vulgatus sensum vertit. Est autem tertia persona futuri, quæ Hebræi impersonaliter utuntur, ut dictum est cap. 9. Videtur autem esse allusio ad visionem et verba Jacob, quando scalam vidit, etc. NON TRANSIBIT PER EAM POLLUTUS, seu *contaminatus*; non quod in Ecclesia Dei non sint immundi et contaminati, sed non transeunt per eam, non enim proficiunt, neque ad vitam iter faciunt; sed in eâ tolerantur, ut si ad sanam mentem redierint et evigilaverint, possent iter conficere. ET HÆC ERIT VIBIS; huiusmodi pronomen ad viam potest referri; nam Hebræis masculini generis est etiam hoc loco in affixo verbi *transibit*, et alibi; licet frequentius sit femininum. Ergo Vulgatus ad viam referens, participium *holec, ambulans*, accepti pro adiectivo *viae*, id est, *per quod recte fit iter*; quare viam rectam vertit, neque distinctionem quam nunc habet Hebræa servavit, quod nondum essent distinctiones, quæ a sapientibus Tiberiadis adjectæ sunt postea; quas doctus interpres sapè (ut ego quidem sentio) non curabit. Ergo, cum Vulgatus hoc loco voces istas, *velu lamo*, sequentibus coniungendas existimo in hunc modum: *Et ipse (nempe Deus) ipsius (vel cum ipsius) ambulans viam*, id est, socius erit itineris; *atque ita fiet ut nulli quantivis stulti aberrerent à viâ salutis*, nisi de industria errare velint. Quia verò verba concisa sunt, indicabo lectori et alias interpretationes quas sermo Hebræus patitur, præter eam quam jam apposui. *Non transit per eam pollutus; sed ipsa, scilicet, via, erit ipsius*, nempe cæcis et claudis, et cæteris de quibus in superioribus versibus; deinde, *ambulans viam, et stulti non errabunt*, vel: *Et erit ibi strata, et via; et viam sanctam vocabunt eam; ne transeat per eam pollutus; et ipsa (nempe via) vocabit eos ambulantes viam*, id est, viatores seu itineris peritos, ut neque stulti aberrerent. Nam etiamsi in aliis rebus stulti sint, tam recte tenebunt viam ut à viâ salutis non deflectant. Qui posterior sensus haud est contemnendus; angustus enim est et Isaiâ dignus. In quo vides quod nos filii Ecclesiæ eam appellemus sanctam Ecclesiam et viam sanctam, ut erubescant immundi in eâ commorari, et discedat ab iniquitate omnis qui invocat nomen Domini Jesu, quod est signaculum quo signatum est Dei fundamentum, ut inquit Paulus 2 Tim. 2. Ipsa autem Ecclesia, vel ipse Dominus, vocant nos viam Dei, seu doctos viarum Dei, id est, erudit nos de viâ Dei, ita ut in aliis rebus stulti à mundo iudicantur, docti sint viarum Domini, et, nisi velint, à viâ Dei non possint aberrare. Neque dura tibi videatur verbi *vocabit* repetitio, quæ non infrequens est Hebræis. Cæterum prima interpretatio simplicior est.

VERS. 9. — MALA BESTIA, *pheris*, est à verbo quod

rumpere seu irumpere notat, *raptorem seu irruptorem* dicere possumus. Quo nomine et latrones appelluntur interdum, interpretante Lucâ loco Jeremie, c. 7: *Numquid spelunca irruptorum facta est domus ista? speluncam enim latronum interpretatur. Irruptor ergo bestiarum pro irruptente bestia seu fera capi potest, cuiuscumque generis sit, quæ in transeuntibus irritat, eosque opprimit. Quod intellexit Vulgatus, dicens mala bestiam. Vel certe catihs pro animalibus vicarius accepti, et *pheris pro fera interceptante vitam*, ut sunt lupi, leones, ursi, etc., quo nomine designari homicidam illum, qui ab initio occidere novit, non dubito, qui jam longè abest, neque nocet iis qui sunt in Christo Jesu, et quibus datum est à Domino calcare super serpentes et scorpiones, etc. Perinde autem est *ibi non inveniri et posse ejus caput concutere*. Unde dicitur: *ET AMBULABUNT LIBERATI*, id est, tuò vitam degere poterunt quæ Dominus liberaverit. Est autem *gala rem aliò desolutam ad se revolvare seu transferre, et iure hereditatis pristinae sibi rursum asserere et vindicare*: licet pro *emere simpliciter ponatur*, Levit. 25, etc. Ergo *galem, Dei sunt asserti, liberati seu redempti à Domino, et quos ipse sibi vindicavit*. Scèpè autem in lege dicitur hoc verbum de redemptione seu vindicatione quæ per propinquum fit iure consanguinitatis, Levit. 25, non semel. Quid mirum igitur, si, cum tribuitur Deo, intelligatur de Dei Filio? Annon ideò homo factus est, et carnes nostras assumpsit, ut propinquus et consanguineus nos venundatos sub peccato et in Satanae potestatem redactos iure propinquitatis sanguine suo redimeret, suoque nos regno assereret ac vindicaret? Infrâ 44; Jer. 51; Ose. 15; Mich. 4, etc.*

VERS. 10. — CONVERTENTUR, ET VENIENT. Hebræus est, id est, *iterum venient vel ingredientur*. Verbi enim *schub* cum altero verbo constructi hic est usus apud Hebræos non infrequens, ut jam non semel annotavi. Quæ tamen cum Judæis incredulis neque adhuc implenda neque in reditu ex Babylone impleta existimare debemus; non possunt enim tan magnificæ promissiones ad animarum redemptionem non pertinere. Homines ergo qui cives Dei esse desiderant, sive Judæi sive Græci, ad novam Sion properant, et Jerusalem, nempe Ecclesiam Christi, et regnum Dei ingredientur. In genere ergo, de humano genere aut gentibus hæc intellige. Isti cum laude et sempiternâ lætitiâ veniunt, quæ nunquam desinet, quod æternum sit regnum Christi et omnium scelerorum, ut est apud Davidem. Quamvis enim plurima adversa insurgant adversus illud, nunquam tamen prævalebunt; neque quidquam est quod gaudium Ecclesiæ ac sponsæ Dei possit auferre, sicut neque divinae charitatis vinculum solvere. SUPER CAPUT. Metaphora sumpta esse videtur à femininarum consuetudine, quæ super caput ingentia interdum volumina vestium ac linteaminum ex lavacro afferunt quod lætitiæ et gaudii non temporarii abundantiam designavit propheta. Vel huiusmodi locutione variam et divitem suppellectilem ac divitiâs notavit, quæ, quia gaudium

et lætitiâ afferunt, *gaudium* vocantur; quod tamen de divitiis spiritualibus, quibus donantur vocati ac redempti, intelligamus necesse est. Hoc loco et aliis non paucis Scripturæ videre licet lætitiâ et *exultationem* propriam esse servorum Dei. Quomodo enim non gaudebunt qui et quantis malis pressi fuerunt, et quanto majora adhuc eos expectabant considerantes, se vident Domini gratiâ ac beneficio libertate filiorum Dei donatos? Deflent quidem interdum veterem errorem: sed flētus ille consolationum veluti quidam fluvius est, non solum quia, ut est apud Davidem, *laqueo*

CAPUT XXXVI.

1. Et factum est in quarto decimo anno regis Ezechia, ascendit Sennacherib rex Assyriorum super omnes civitates Juda munitas, et cepit eas.

2. Et misit rex Assyriorum Rabasacem de Lachis in Jerusalem, ad regem Ezechiam in manu gravi, et stetit in aqueductu piscine superioris in viâ agrî fulonis.

3. Et egressus est ad eum Eliacim filius Helcia, qui erat super domum, et Sobna scriba, et Joabe filius Asaph à commentariis.

4. Et dixit ad eos Rabasacem: Dicit Ezechias: Hæc dicit rex magnus, rex Assyriorum: Quæ est ista fiducia quâ confiditis?

5. Aut quo consilio vel fortitudine rebellare disponis? Super quem habes fiducia, quia recessisti à me?

6. Ecce confiditis super baculum arundineum fractum istum, super Ægyptum: cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum ejus, et perforabit eam: sic Pharaon, rex Ægypti, omnibus qui confidunt in eo.

7. Quod si responderis mihi: In Domino Deo nostro confidimus: nonne ipse est cuius abstulit Ezechias excelsa et altaria, et dixit Judæ et Jerusalem: Coram altari isto adorabitis?

8. Et nunc trade te domino meo regi Assyriorum, et dabo tibi duo millia eorum, nec poteris ex te præbere ascensores eorum.

9. Et quomodo sustinebis faciem judicis unius loci ex servis domini mei minoribus? Quod si confiditis in Ægypto, in quadrigis, et in equitibus:

10. Et nunc numquid sine Domino ascendi ad terram istam ut disperderem eam? Dominus dixit ad me: Ascende super terram istam, etisperde eam.

11. Et dixit Eliacim, et Sobna, et Joabe ad Rabasacem: Loquere ad servos tuos syrà linguâ: intelligimus enim: ne loquaris ad nos judaicè in auribus populi qui est super murum.

12. Et dixit ad eos Rabasacem: Numquid ad domum tuam et ad te misit me dominus meus, ut loquerer omnia verba ista: et non potius ad viros, qui sedent in muro, ut comedant stercorea sua, et bibant urinam pedum suorum vobiscum?

13. Et stetit Rabasacem, et clamavit voce magna judaicè, et dixit: Audite verba regis magni, regis Assyriorum.

contrito, se liberatos sentiunt, verum etiam quia suas illas lacrymas Deo gratas esse non ignorant. Semper igitur gaudent, et *maror ac gemitus*, quales sunt captivorum et desperatorum, longè absunt ab eis. Orare debemus Dominum nostrum, ut animum similem hujus prophetae nobis concedat, quo, quantum sit Christi Domini beneficium agnoscentes, ejus semper laudes decantemus, semper in Domino gaudentes. Quam felicitatem mundani homines nobis non invident, quod eum prostris ignorant.

CHAPITRE XXXVI.

1. La quatorzième année du règne d'Ezechias, Sennacherib, roi des Assyriens, vint assiéger toutes les villes fortes de Juda, et les prit.

2. Alors le roi d'Assyrie envoya Rabasacem de Lachis à Jérusalem, avec une grande armée contre le roi Ezechias; et Rabasacem s'arrêta à l'aqueduc de la piscine supérieure, dans le chemin du champ du foulon.

3. Eliacim, fils d'Helcias, qui était grand-maître de la maison du roi, Sobna, docteur de la loi, et Joabé, fils d'Asaph, secrétaire d'Etat, étant venus le trouver,

4. Rabasacem leur dit: Rapportez ces paroles à Ezechias: Voici ce que dit le grand roi, le roi des Assyriens: Quelle est cette confiance dont vous vous flattez?

5. Par quel dessein et avec quelles forces prétendez-vous vous révolter contre moi? Sur qui vous appuyez-vous, lorsque vous refusez de m'obéir?

6. Vous vous appuyez sur l'Égypte, sur ce roseau cassé qui entrera dans la main de celui qui s'appuie dessus, et qui la transpercera. C'est ce que sera Pharaon, roi d'Égypte, pour tous ceux qui espèrent en lui.

7. Que si vous me dites: Nous mettons notre espérance dans le Seigneur notre Dieu, n'est-ce pas ce Dieu dont Ezechias a détruit les hauts lieux et les autels, ayant dit à Juda et à Jérusalem: Vous adorez devant cet autel que j'ai dressé?

8. Maintenant donc rendez-vous au roi des Assyriens mon maître: je vous donnerai deux mille chevaux, et vous ne pourrez seulement pas trouver assez de gens parmi votre peuple pour les monter.

9. Comment donc pourriez-vous seulement tenir contre l'un des moindres gouverneurs des places de mon maître? Que si vous mettez votre confiance dans l'Égypte, dans ses chariots et dans sa cavalerie,

10. Croyez-vous que je sois venu dans cette terre pour la perdre sans l'ordre du Seigneur? C'est le Seigneur qui m'a dit: Entrez dans cette terre et détruisez-la.

11. Eliacim, Sobna, et Joabé, dirent à Rabasacem: Parlez à vos serviteurs en langue syriaque, parce que nous la savons; mais ne vous parlez point la langue des Juifs, pendant que tout le peuple qui est sur la muraille nous écoute.

12. Rabasacem leur répondit: Est-ce à votre maître et à vous que mon maître m'a envoyé dire toutes ces choses, et n'est-ce pas plutôt à ces gens qui sont sur la muraille, et qui vont être réduits à manger leurs propres excréments avec vous, et à boire leur urine?

13. Rabasacem donc se tenant debout, et criant de toute sa force, dit en langue judaïque: Écoutez les paroles du grand roi, du roi des Assyriens.

14. Hæc dicit rex : Non seducat vos Ezechias, quia non poterit ererere vos.

15. Et non vobis tribuat fiduciam Ezechias super Domino, dicens : Eruens liberabit nos Dominus : non dabitur civitas ista in manu regis Assyriorum.

16. Nolite audire Ezechiam : hæc enim dicit rex Assyriorum : Facite mecum benedictionem, et egredimini ad me : et comedite unusquisque vineam suam, et unusquisque ficum suam : et bibite unusquisque aquam cisternæ suæ.

17. Donec veniam, et tollam vos ad terram, quæ est ut terra vestra, terram frumenti et vini, terram panum et vinearum.

18. Næc conturbet vos Ezechias, dicens : Dominus liberabit nos. Numquid liberaverunt dii gentium unusquisque terram suam de manu regis Assyriorum ?

19. Ubi est deus Emath et Arphad ? ubi est deus Sepharvaim ? numquid liberaverunt Samaritaniam de manu meâ ?

20. Quis est ex omnibus diis terrarum istarum, qui eruerit terram suam de manu meâ, ut eruat Dominus Jerusalem de manu meâ ?

21. Et siluerunt, et non responderunt ei verbum. Mandaverat enim rex, dicens : Ne respondeatis ei.

22. Et ingressus est Eliacim filius Helcia, qui erat super domum, et Sobna scriba, et Joahe filius Asaph à commentariis, ad Ezechiam, scissis vestibus, et nuntiaverunt ei verba Rabsacis.

COMMENTARIUM.

VERS. 1. — Jam quo pacto liberaverit Deus Jerusalemianos ab exercitu Assyriorum, narrat, ut Dei potentia ac bonitas innotesceret omnibus, et fiduciam in Deum à nobis extorqueret (1).

VERS. 2. — IN GRAVI MANU. *Graves* vocat hebraismus plurimas res quas sermo latinus non ita vocat. Estque varia hujus vocis explicatio. Quidquid enim vel pondus vel momenta habere significare volunt, *grave* vocant. Hic de exercitu dicitur : nam *hel* non raro pro exercitu accipitur. Ità loquitur Scriptura, cum de exercitu Pharaonis sermo est, et aliis. Quod interpretes dicunt *manum validam*, hic *manum gravem* dixit Vulgatus, id est, exercitum haud contemnendam, sed quem formidare merito posset Jerusalem. Hic mecum vide, Christiane lector, quam immerito nonnumquam soletat populus sui regis peccatis regni calamitates adscribere atque imputare. Quis Ezechiam sanctorum ? ad universas jam civitates ceperat Assyrius, et inundatione sua usque ad collum jam pertingebat, ut supra dictum est, ut regnum jamjam amissurus

(1) SUPRA OMNES CIVITATES. *Super*, id est, contra : hoc enim est Hebræum *al*.

MISIT REX ASSYRIORUM RABSACEN. Fabulantur Hebræi hunc Rabsacem fuisse filium Isaiæ, eò quòd locutus sit hebraicè, v. 15, et quia alter Isaiæ filius relictus vocatus est, c. 7, v. 3. Jasub, quasi alius ad Assyrios transfugisset. Hanc fabellam refert hic S. Hieron. et auctor de Mirabilibus S. Scripturæ apud S. August., lib. 2, c. 27. (Corn. à Lap.)

14. Voici ce que le roi m'a commandé de vous dire : Qu'Ezechias ne vous trompe point, car il ne pourra vous délivrer.

15. Qu'il ne vous persuade point de mettre votre confiance dans le Seigneur, en disant : Le Seigneur indubitablement nous délivrera ; cette ville ne sera point livrée entre les mains du roi des Assyriens.

16. Gardez-vous bien d'écouter Ezechias, car voici ce que dit le roi des Assyriens : Faites alliance avec moi, et venez vous rendre à moi, et chacun de vous mangera du fruit de sa vigne et du fruit de son figuier, et boira de l'eau de sa citerne,

17. Jusqu'à ce que je vienne vous emmener en une terre semblable à la vôtre, une terre de blé et de vin, une terre abondante en pains et en vignes.

18. Qu'Ezechias ne vous abuse point en disant : Le Seigneur nous délivrera. Chaque dieu des nations a-t-il délivré la terre qui l'adorait, de la puissance du roi des Assyriens ?

19. Où est le dieu d'Emath et d'Arphad ? où est le dieu de Sépharvaim ? ont-ils délivré Samarie de ma main ?

20. Qui est celui d'entre tous ces dieux qui ait pu délivrer son pays de ma puissance, pour croire que le Seigneur en sauvera Jérusalem ?

21. Et les envoyés d'Ezechias se turent, et ne lui répondirent pas un mot, car le roi leur avait commandé de ne rien répondre.

22. Après cela, Eliacim, fils d'Helcias, grand-maître de la maison du roi ; Sobna, docteur de la loi, et Joahe, fils d'Asaph, secrétaire d'Etat, se rendirent auprès d'Ezechias, ayant leurs vêtements déchirés et lui rapportèrent les paroles de Rabsacis.

videretur. Certè regis justis isthæc probatio erat, et peccatorum populi illius castigatio.

VERS. 5. — ET EGRESSUS EST. In libro Regum additur : *Et vocaverunt regem, illi videlicet duces Assyrii : nam ad eum delerebant mandata à rege suo. Rex autem misit ad eos nuntios hos. Et Eleachim quidem dicitur fuisse super domum ; id est, præfectus domus regis, quem nos majorem domus vocamus ; Sobna autem vel Sobna, scriba ; à Joah erat à commentariis, id est, qui res publicas et quæ per singula tempora contingebant in annales redigebat, et historias temporum conscribat. Nam participium *masekir*, quod interdum nomen est, illud munus videtur notare quòd legitimus fuisse olim apud quosdam reges, ut quispiam curam haberet commemorandi eorum rege quæ quisque in regno ejus præclara facinora edidisset, et quidquid regem meminisse oporteret regi in mentem revocaret. Quare hinc commemoratorem dixi. Hoc nomine vocatur Jehosaphat 2 Sam. 8, 16.*

VERS. 5. — AUT QUO CONSILIO, etc. Vulgatus suo more sensum expressit. Hebræa verba ut potui reddidi ; quasi dicat dux : *Ego apud me dicebam : Essentia verba, quæ ore exeunt et in aera evanescent, consilium et fortitudo ad bellum gerendum (his enim duobus optime bellum geritur) ; quòd si verba sunt fortitudo et consilium, benè res vestræ habent ; nam non vobis desunt. Dicitis enim magna verba, quòd Jehovah liberabit vos, quòd Ægyptus aderit vobis, etc. At si nihil*

aliud munus est consilium et fortitudo quàm verba, vosque nihil aliud quàm verba habetis, quæ est vestra fiducia ? Neque novum videtur quod ac pro fortassis accipiatur ; nam est interdum ominantis, ut Gen. 44 : *Foras discerpentò discerptus est*, et Psal. 159 : *Et dixi : Forsitan tenebræ operient me*, etc., et sapiens aliàs. At in libro Regum primà personâ habetur secunda, *anaretha ac, dixisti*, et ita habent hoc loco nonnulli codices. Et hunc habere potest sensum : *Dixisti fortassis verbum hoc labiis tuis : Consilium et fortitudo ad bellum est, supple nobis ; vel potius, quia audierat Assyrius Judæos, dum essent in angustiis, solere ad orationes confugere, et hunc esse Ezechie animum, et suis prædicare ut clamarent ad Deum, neque aliâ re sibi opus esse ; hoc quippe esse consilium et fortitudinem ad bellum, etc., irrisoriè orationes, in quibus fiduciam habebat pius rex, verbum laborum vocat. Dixisti, inquit, profectò, vel tantummodo. Verbum laborum est consilium et fortitudo ad bellum. Et hanc lectionem magis probo. Nam quòd ac aliquando affirmet, præsertim initio sententiæ ; vide Gen. 29 ; 1 Sam. 25 ; Psal. 75, etc. ; at post alias voces exclusiva est, Gen. 18 : *Loquar tantum tibi hæc* ; Deut. 28, etc. Ergo Ezechias non defuturum inclusit consilium seu fortitudinem ad bellum prædicabat, modò orationes et preces fide plenas ad Deum funderent. Quod indicat locus 2 Par. 32, ubi hujusmodi verbis corda virorum Ezechias confortavit : *Viriliter agite, et confortamini ; nolite timere, neque paveatis regem Assyriorum et universam multitudinem quæ est cum eo : multo enim plures nobiscum sunt quàm cum illo. Cum illo enim est brachium carneum, nobiscum Dominus Deus noster, pugnatque pro nobis. Impius itaque et cæcus Rabsachus, et Deum viresque fidei in ipsum et orationis ignorans, deridebat Jerusalemitanos. Quia necessarii, id est, necessarii à me : vel hi pro quando accipitur. Quando, inquit, rebellasti adversum me, quæ fuit confidentia tua ? Legimus autem 4 Reg. 18, 7 : *Erat Dominus cum Ezechia ; et in cunctis ad quæ procedebat sapienter se agebat : rebellavitque contra regem Assyriorum, et non servivit ei, quasi indignum ratus ut tributum solveret Assyrio, quem pater Ahaz in auxilium adversus Syriam et Israelém vocaverat. Cui et si tunc cum hæc agerentur argentum et aurum miserat, non tamen legitimus quòd tributum annuatim solvendum statusset. Quare verum est quod supra 55, 8, dictum est, Assyrium pactum fregisse, et quòd hic ex libro Regum dicitur, Ezechiam rebellasse.***

VERS. 6. — ARUNDINEUM, etc., vel sic : *Arundinem, conquassatam istam. Pronomen autem accipi videtur pro particula expositivâ, nempe, videlicet, etc. Atque hujusmodi similitudine notat quòd Ægyptii non solum non juverant Jerusalemitanos, sed quòd, dum juvare videntur, potius nocerent ac læderent. Talia autem sunt omnia humana auxilia, præsertim ea ad quæ deserto ac neglecto Deo confugimus.*

VERS. 7. — QUÒD SI RESPONDERIS. Doctè sensum vertit. *Et quia dices, id est, dicere potes, vel soles.*

Hic enim usus est sæpenumero futuri. Fiduciam in Ægyptum elevaverat Rabsachus, quam habere plurimos ex Judæis noverat, ut supra diximus ; jam fiduciam in Deum, quam sciebat pius regem Ezechiam præ se ferre ac prædicare, labefactare nititur. Quo in loco interim animadvertere quam callidè res hostium dux iste, et quàm astute verba assumat ut falsum colligat. Noverat non usque ad eò potuisse toti populo placere regis Ezechie zelum, quam excelsa abstulisset, et populum ut tantum Jerusalem adorarent compulset, tum quia id toleraverant qui ipsum præcesserant reges, tum etiam quia libertatem, quam semper populus sartam tectam habere vult et mordicus tenere, tollere videbatur. His addit quòd vel ignorans legem Dei vel consuetudine populi abusus, opus illud ipsi Deo aut non placere affirmat, aut saltem id persuadere Judæis conatur : quod si obtineret, jam fiduciam in Deum se deiecit ac prorsus evertere putabit. Quò enim pacto illi confidat qui nocet ? Ergo et religione Deum nobis propitium esse posse, et superstitione iratum insinuat, Deumque, juxta Senecæ consilium, obsequio in prosperis rebus nobis conciliandum, non criminibus irritandum, ut in adversum cum fiducia invocatus adesse velit, quamvis esset impius, iste dux nos docebat.

VERS. 8. — ET NUNC, hebraismus, igitur, nunc ergo. TRADE TE DOMINO MEO. Verbum *harab* propriè mixtionem notat, ac de omnium ferè rerum mixtione dicitur, ut juxta materiam subjectam reddere oportet. Ergo et de pactis dicitur, ubi ex utraq; parte fides datur, et in federe atque amicitia animi coeunt et quodammodo commiscitur. Unde hic quidam pro *dare obsides*, alii verbo *oppignerandi*, Vulgatus verbo *tradendi* vertunt. Ego *conventionem facere* dixi. Et si quidem activè accipias verbum *quarte*, reddere poteris, *oppignerata dominum meum*, id est, devinci numeribus, vel obsidibus, vel te in manus ejus tradendo, etc. ; ego tamen propter id quod sequitur, verbo *deponendi* libenter redderem, *depone* quidquam cum domino meo, quòd si det duo millia egorum, non des eorum ascensores, etc., licèt et de aliis conventionibus possit intelligi.

VERS. 9. — ET QUOMODO SUSTINEBIS, id est, sustinere poteris. Nos etiam Lusitani verba *sustinendi* vel etiam *expectandi* pro *fortiter resistere* seu *ferre* utimur. Ajunt autem quidam verbum *schah* in *hiphal* constructum cum nomine *faciei* in sententiâ negativâ significare *aversari*, at in affirmatiâ *sustinere, ferre, etc.*, et hunc locum adducunt. Sed ego ubique suam significationem puto retinere posse, nempe *redire facere*, id est, repimere seu repellere, aut quid simile. Quod si. Vulgatus hæc sequentibus videtur connectere : possunt tamen superioribus aptari : *Non habes ascensores duorum millium egorum ; quare neque uni ex minoribus ducibus poteris resistere ; et adhuc habes fiduciam in Ægypto, etc. In quadrigis, *rekel*, id est, *currum*, collective, ut sæpe aliàs, hic accipio, vulgò *carrale*. At pharascim ubique pro *jugatibus* accipio, id est, animalibus quæ junctim currum tra-*

hunt : de qua voce jam supra non uno tantum loco dictum est. Jerosolymitani autem equos et quadrigas expectabant ex Ægypto : atque ita accipio *lamed*, pro *curritus et jugalibus*, id est, ut intus habeatis currus et jugalia. Stultum autem esse affirmat currus et equos expectare, quandoquidem ascensores non haberent, etc.

VERS. 10. — ET NUNC, id est, adde, omitto, prætereo, quod non sine Domini voluntate, etc. Alinunde adhuc fiduciam in Deum vult evertere. Ad verb. *præter Jehova vel sine*. Non inconsulto Domino, imò præcipiente Domino Deo vestro, hanc provinciam suscepi. Inanis ergo est vestra in ipsum fiducia.

VERS. 11. — SYRA LINGUA, *Aramiticè*, seu *lingua Arameæ*. INTELLIGITUR ENIM, *vel callemus enim*, Hebr. *nam audientes nos*. Nondum enim Judæis in Babylone translatis, Chaldaicam linguam, quæ in multis Syriæ provinciis communis erat, pauci tantum intelligebant; sicut postquam illinc reversi sunt, non omnes Hebræicè sciebant, sed docti tantum et Scripturæ assueti à pueriâ. Quâ ratione factum est ut in Chaldaicam linguam Scripturæ verterentur : erat enim illa jam vulgata, eò quod paucissimi essent ex Judæis qui in Chaldæa nati non fuissent. Unde Christus tempore sermo vernaculus erat Syriacas, aut saltem mixtus ex utraq; linguâ, quamvis aliqui affines sint ambæ lingue, et altera alterius dialectus. IN AURIUS POPULI, id est, audientibus iis qui *super muro sunt*. EXEUNTIUS ENIM LEGATIS AD COLLOQUENDUM CUM ASSYRIIS, multi, ut fit, in murum ascenderant, ut viderent quid inter eos ageretur.

VERS. 12. — ET NON POTIUS AD VIROS. Astutus Assyrius dux populum in sententiam suam adulationibus, quæ apud vulgus plurimum valent, pertrahere aggreditur, occasione sumpta à timiditate quam in legatis subollocerat : et qui ea quæ dicebat ut regi nuntiarent præcipiebat, jam ad populum se missum proficitur; quare et eorum vices dolere se insinuat, et in regem ac principes invidiam excitat. Sciebat enim imperite multitudinis ingenium, ac quam præceps sit ad judicandum reges sibi tantum consulere, et subditorum miseris non tangi. URINAM PEDCM SCOTURM. In textu Bibliorum est nomen plur. cum affixo pronomine, *scheinaahem*, estque nomen Chaldæum, quod retinuit Isaias, sicut quod præcessit, ut mox dicturus sum. At in margine scriptum est *aquas pedum*; sic enim honestè urinam circumloquuntur, sicut honestè dicunt : *De inter pedes pro de genitalibus* : de qua formâ jam dixi nonnihil in comm. In illa verba : *Domini legifer noster*, etc. STERCORA. In textu est nomen *coraam*, quod etiam Chaldæum est, et *stercora* notat; nam *cor* illis est *foramen*. Peregrinas itaque voces honestatis gratiâ retinuit Isaias. In margine autem est, *toatham*, quod *egestionem* designat Hebræis. Qui locus fecit ne multum fidei adhiberem sententiæ nonnullorum rabbinorum, neque ineditorum, qui dicunt lectionem marginalem non esse variam lectionem, sed esse germanam; et quamvis in textu aliter scribatur, proferendas tamen esse voces iuxta lectionem quæ in margine est.

VERS. 13. — ET STETIT, ET CLAMAVIT, id est, obfirmato animo ac pertinaci clamavit seu vocavit. Compellat autem viros qui super muros erant, inque Judaicè. Ut videas non esse rogandos hostes, neque committendum ut quidquam nisi virile et forte persentiant in nostris. REGIS MAGNI, Emphasim habet he repetitum in Hebræo, *regis illius magni*.

VERS. 14. — NEQUE FIDUCIAM TRIBUTAT, *iabetach*, id est, *fidere faciat*. Sciebat enim populum non nisi persuasum à rege in Deum confidere, cujus pietas nota erat ipsis etiam hostibus. Cùm autem magna sit omnium regum inter suos auctoritas; quorum tamen nota est religio et fides ac vitæ totius sanctitas, facillè populum, etiam reclamantem, in officio continent, et perdurare in adversis faciunt. Quare, ut ego quidem sentio, si quisquam est qui boni communis amore tenetur, et regnum seu rempublicam benè administratam cupit videre, vitæ sanctitatis atque erga Deum pietatis opinionem principi, quoad ejus fieri potest, conciliat. Si autem quæras à me quâ ratione hujusmodi opinionem populus de principe concipere possit, respondebo, ut est apud Xenophontem : *Talis sit*; neque enim aliud est ad eam consequendam efficacius ipsâ veritate, id est, ut reverè talis sit.

VERS. 16. — FACITE MECUM BENEDICTIONEM. Hebræismos est; domus enim *benedictionis* copiam et largitatem notat; q. d. : Ne sitis erga me parei, sed magnificè ac liberaliter mecum agite, nempe summâ fiducia, atque omnimodè deposito, *ad me egredimini*, vestricum mihi meaque fidei credentes. Quod si præstitieritis, *comedet quisque*, etc., eritis vestrarum rerum domini, meque pro hoste patrem habebitis, etc. Sed non potest latere hostilis animus : absurda enim plerumque petit. Si enim fides adhibenda est, cui potius adhibenda in iis quæ non videntur? hostine, an optimo regi nostri generis, ejusdemque religionis amatissimi? Fidem exigebat à primis parentibus hostis ille, mendacii omnis pater; et cùm nihil ostenderet ob quod sibi potius quàm Deo creatori fidem adhiberent, tamen obtinuit ut nulli minis quàm ei qui fidem jure optimo exigit, homo fidem adhibere videatur. Quam miserabilem conditionem nunquàm satis admirabor. ET COMEDET UNUSQUISQUE. Verba *comedite* et *bibite* possunt quoque in formâ præteriti legi; quod propter *vau* in futurum vertitur, et *comedet*, id est, comedere poterit. *Vitem verò suam comedere*, Hebræismos est, quo et nos utimur, id est, eâ frui et ex ejus fructibus comedere.

VERS. 17. — TOLLAM VOS, etc. Impotens animus occultare omnino consilium nequit, et cùm captivitate meditare, aliis nominibus invidiam declinat. Sed interim animadvertit eum nihil in promptu promere aut exhibere, sed omnia in futurum promittere. Quod misericordie Dei adscribi omnino debet : nam si quis à veritate avertere alios nititur, mox quæ grata essent in manus traheret, vix quisquam esset à deceptione immunis. At cùm et Deus et hostis in futurum promittant, deliberandi ac decernendi locus datur, uter fide sit dignior. Præter hoc, quod si ad

presentia animam adjiciamus statim quid respondere debeamus, ex ipsis hostis verbis habebimus; nonne sic respondere isti poterant? *Altiam mihi terram huic similem commemoras; illam nos nequaquam videmus; hanc nos possidere sine, si nos diligis, quam tu illi alteri similem esse affirmas*.

VERS. 18. — NEQUE CONTURBET. Non nisi in tertiâ legitur *hasith*, quod Vulgato verbo *incitandi* reddere solet, Deut. 15, Jos. 15, 1 Sam. 26, etc., quod tamen Job 56, verbo *salvandi ac superandi* reddidit. Ego certè putarem esse idem verbum quod *suth*, id est, *possit*; et in tertiâ esse idem quod *persuadere*, eadem phrasi quâ nos utimur Lusitani, *possit me ut bellum gererem*, id est, mihi persuasit. Atque ita reddendus est locus Deut. 15 : *Si incitaverit te frater*, id est, si te in hoc constituerit, si tibi persuaserit, et Jos. 15 : *Persuasit ei ut peteret à patre agrum*, et ceteri loci.

Locus ergo Job 56, in quo bis ponitur hoc verbum variè interpretatum, nescio quàm benè à plerisque redditur, quem ego sic redderem : *Insuper et deponet te de ore angustie latissima, quæ fundamentum sub se non habet*; et mox : *Ira quoque ne persuadeat tibi in sufficientiâ*, id est, ad excessum, et magna largitio non incitvet te; quem sensum doctè expressit Vulgatus. Hinc nomen descendit quod *pallium* seu *velum*, quod superponitur, notat. Hæc diffusius tractavi quod viderem etiam à viris doctis hujus verbi significationem et acceptionem, atque hanc, quam aperui, cognitionem, à plerisque ignorari, licet sensum Vulgatus semper sit assuetus; ut nequam satis mirari præcipientiam eorum qui passim immeritò Vulgatam editionem rejiciunt. Ergo hic verbo *persuadendi* seu *decipiendi* rectè veritas. NEMQUID LIBERAVERUNT. Insciantiam suam prodit, qui quantum distaret Deus Judæo-

CAPUT XXXVII.

1. Et factum est, cùm adisset et rex Ezechias, scidit vestimenta sua, et obvolutus est sacco, et intravit in domum Domini.

2. Et misit Eliacim, qui erat super domum, et Sobnam scribam, et seniores de sacerdotibus, operos saccis, ad Isaiam filium Amos prophetam.

3. Et dixerunt ad eum : Hæc dicit Ezechias : Dies tribulationis, et correptionis et blasphemie, dies hæc : quia venerunt filii usque ad partum, et virtus non est parienti.

4. Si quo modo audiat Dominus Deus tuus verba Rabsacis, quem misit rex Assyriorum dominum suum ad blasphemandum Deum viventem, et exprobrandum sermonibus quo audivit Dominus Deus tuus : leva ergo orationem pro reliquis, quæ reperte sunt.

5. Et venerunt servi regis Ezechias ad Isaiam.

6. Et dixit ad eos Isaias : Hæc dicetis domino vestro : Hæc dicit Dominus : Ne timeas à facie verborum quæ audisti, quibus blasphemaverunt pueri regis Assyriorum me.

7. Ecce ego dabo ei spiritum, et audiet nuntium, et revertetur ad terram suam, et corrueat eum faciem gladio in terrâ suâ.

8. Reversus est autem Rabsaces, et invenit regem

rum à diis gentium nesciebat. *At non est Deus noster ut dii eorum*; nam illi sunt *opera manuum hominum*; et in eis homines quæcumque volunt faciunt. *Deus autem noster in celo, omnia quæcumque voluit, fecit*. Quæ profectò cogitatio non ubique deest. Nam hostis noster, eò quod sciat quanta hinc nobis bona proveniant, in hoc totus est ut nobis persuadeat Deum nostrum ab aliis nihil differre.

VERS. 19. — NEMQUID, *veki*, et *quano liberaverunt*, etc., *vel etiamne*, nam ki interdum interrogat, ut supra 29 : *Nam dicit factura*, etc., et Deut. 20. In lib. Regum adduntur duo alia nomina locorum; sed hoc non urgebat; nam erant dii alieni. Majorem vim certè habuisset si dixisset : *Nam Jehova liberavit Israelitas de manu meâ*? Sed neque hoc vim magnam habuisset nisi ostendisset Samaritanos in Jehovâ habuisse fiduciam.

VERS. 20. — UT ERAT DOMINUS, etc., *ki* hic interrogat, ut superiori versu, *num igitur*; q. d. : *Ego integras provincias ab aliis diis recepi; numquid ergo, vel quo pacto igitur, vel quid fiet ergo tu, Jehova uam civitatem de manu meâ liberet*? Imò quia illi non liberaverunt, Jehova hanc liberabit; ut inimici ipsi sint iudices, et videant quid Jehova ipse cæteris diis præstet.

VERS. 21. — ET SILUERUNT. Verbum *carasch*, non *silere* sed *cessare* notat. Unde et pro *obsurdescere* capitur. Mich. 7 : *Et aures eorum cessabunt*, id est, obsurdescent. Nos etiam Lusitani, causam pro effecta prodescent, *obsurdescere* non respondere dicimus, ac pro *tacere* usurpamus, et eum qui non respondet *an sit surdus* rogamus. Potest etiam reddi : *Et immoti remanserunt, neque responderunt*, etc. QUIA PRÆCERPERAT, etc. Ecce quantum obtinuerat regis pii auctoritas apud plebem.

CHAPITRE XXXVII.

4. Le roi Ezéchias, ayant entendu ces paroles, déchira ses vêtements; il se couvrit d'un sac, et il entra dans la maison du Seigneur.

2. Puis il envoya Eliacim, grand-maître de sa maison, et Sobna, docteur de la loi, et les plus anciens d'entre les prêtres, couverts de sacs, un prophète Isaië, fils d'Amos.

3. Et ils vinrent lui dire : Voici ce qu'Ezéchias nous a commandé de vous dire : Ce jour est un jour d'affliction et de reproches, un jour de blasphèmes. Les enfants sont près de sortir du sein de la mère; mais elle n'a point assez de force pour les mettre au monde.

4. Le Seigneur votre Dieu aura sans doute écrit ce qu'a dit Rabsacès, qui a été envoyé par le roi des Assyriens son maître, pour blasphémer le Dieu vivant, et pour lui insulter par des paroles que le Seigneur votre Dieu a entendues. Offrez donc à Dieu vos prières pour ce qui est encore des siens.

5. Et les serviteurs du roi Ezéchias se rendirent auprès d'Isaië.

6. Isaië leur répondit : Vous direz ceci à votre maître : Voici ce que dit le Seigneur : Ne craignez point ces blasphèmes que vous avez entendus, dont les serviteurs du roi des Assyriens m'ont déshonoré;

7. Car je vais envoyer un souffle contre lui; il n'aura pas plus tôt appris une nouvelle, qu'il retournera en son pays où je le ferai mourir d'une mort sanglante.

8. Rabsacès retourna, et trouva le roi d'Assyrie